

De celebratione Baptismatis Domini

Il Nunzio Apostolico in Italia trasmetteva al Cardinale Presidente, con lettera n. 9112/77 del 24 ottobre 1977, il seguente Decreto con relativo « Commentarium » della Sacra Congregazione per i Sacramenti e per il Culto Divino circa la celebrazione della festa del Battesimo del Signore.

SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS ET CULTU DIVINO

PROT. CD 1400/77

DECRETUM DE CELEBRATIONE BAPTISMATIS DOMINI

Celebratio Baptismatis Domini in honore posita est per instaurationem Calendarii Romani generalis et dominicae post Epiphaniam occurrenti assignata, quo facilius ab universa communitate christiana hac die congregata ageretur. Magni enim momenti sunt aspectus doctrinales, pastorales et oecumenici huius festi in historia salutis et in anno liturgico.

Attamen, in locis ubi sollemnitas Epiphaniae non est de praecepto servanda, et ideo dominicae intra diem 2 et 8 ianuarii occurrenti assignatur, haud raro accidit ut festum Baptismatis Domini cum ipsa sollemnitate Epiphaniae occurrat et proinde celebrari non possit.

Attentis insuper petitionibus pluribus de hac re factis, Sacra haec Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, approbante Summo Pontifice PAULO VI, statuit:

In locis ubi sollemnitas Epiphaniae in dominicam est transferenda et haec die 7 vel 8 ianuarii incidit, ita ut festum Baptismatis Domini, eadem die occurrens, esset omittendum, idem festum Baptismatis Domini ad feriam II immediate sequentem transferatur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 7 Octobris 1977.

+ ANTONIUS INNOCENTI
Archiep. tit. Aeclanen.
a Secretis

+ IACOBUS R. CARD. KNOX
Praefectus

COMMENTARIUM
IN DECRETUM DE CELEBRATIONE BAPTISMATIS DOMINI

Decretum a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino die 7 Octobris 1977 datum, hoc statuit: illis in nationibus in quibus Epiphania die dominica celebratur, et haec die 7 vel 8 Ianuarii occurrit, festum Baptismatis Domini, quod eodem die incidit, transfertur ad feriam II immediate sequentem, videlicet ad feriam II hebdomadae primae « per annum ».

* * *

Calendarium Romanum generale festum Baptismatis Domini dominicae assignat, quae post diem 6 Ianuarii occurrit (cf. *Normae universales de anno liturgico et de calendario*, n. 38). Huiusmodi festum die dominica peragendum in lucem profert momentum liturgicum, pastorale atque oecumenicum illius mysterii in cyclo celebrationum per annum atque in historia salutis.

Mutationes temporibus nostris in mores sociales inductae vim habuerunt ad calendarium liturgicum diversimode conficiendum: qua de re festa nonnulla de pracepto suppressa fuerunt, quorum aliqua, dummodo sint de mysterio Domini, in sequentem dominicam transferuntur. Hoc fit de sollemnitate Epiphaniae, quae multis in regionibus iam celebratur dominica post octavam Nativitatis, a die 2 ad diem 8 Ianuarii occurrente.

Celebratio Baptismatis Domini difficultates minime praebet quando Epiphania transfertur in dominicam a die 2 ad diem 6 occurrentem; quo in casu dominica Baptismatis Domini intra dies 9-13 Ianuarii occurrat.

Difficultas autem oritur cum dominica, ad quam Epiphania transfertur, incidit die 7 vel 8 Ianuarii; quo in casu celebratio Epiphaniae excludit celebrationem Baptismatis Domini (cf. *Normae universales de anno liturgico et de calendario*, n. 60b; *Calendarium Romanum*, Commentarium in annum liturgicum instauratum, p. 61: *Liturgia Horarum*, vol. 1, p. 466).

Ante annum 2000, septies hoc fiet in cyclo 22 annorum, ter vero in annis continuis:

1978-1979; 1984; 1989-1990; 1995-1966.

Haec omissio celebrationis Baptismatis Domini, quae non paucis vicibus recurreret, aliqua incommoda secum ferret.

Ad aspectum biblicum liturgicum quod attinet, deesset celebratio mysterii haud parvi momenti in vita Christi, quod exprimit consecrationem missionis messianicae, qua Iesus a vita recondita ad ministerium publicum introducitur; deesset insuper ligamen necessarium inter cyclum Nativitatis ac partem primam temporis « per annum ».

Ad aspectum vero oecumenicum quod attinet, festi Baptismatis Domini omissio, quae haud raro in Calendario Romano generali recurreret, lacuna atque discrepantia aestimaretur quoad traditionem liturgicam Ecclesiarum Orientalium, quae celebrationem Baptismatis Domini cum peculiari sollemnitate peragunt.

Hisce expositis rationibus necnon variis attentis petitionibus, Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino normam statuit ut illis in locis, in quibus Epiphania transfertur ad dominicam die 7 vel 8 Ianuarii occurrentem, festum Baptismatis Domini feria II sequente celebretur.

Solutio ad usum deducta, quae facilis atque simplex videtur, similis invenitur solutioni quae retenta est pro celebratione festi Sanctae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph (cf. *Missale Romanum*, p. 160) atque difficultates Calendarii removet.

Celebratio festi Baptismatis Domini feria II peracta nonnullas rubricarum mutationes evidenter requirit. In Missa non dicitur « Credo »; in Liturgia Horarum ad Horam medium, psalmi sumuntur de feria II hebdomadae primae cum antiphona festi propria, lectio brevis, versus et oratio est de festo; ad Completorium sumuntur psalmi de feria II.

Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 7 octobris 1977.